Quelle: https://manuscripta.at/?ID=967
Copyright: Klosterneuburg, Augustiner-Chorherrenstift



iudicare et non iudicabimini. Nolite condempnare. et non condempnabimini. Dimittite et dimittemini. date et dabitur vobis mensuram bonam et confertam et coagitatam. et super effluentem dabunt in sinum vestrum. Eadem quippe mensura qua mensi fueritis remetietur vobis. Dicebat illis similitudinem. Numquid potest cecus cecum ducere. nonne ambo in foveam cadunt? Non est discipulus super magistrum. perfectus autem omnis erit. si sit sicut magister eius. Quid autem vides festucam in oculo fratris tui. trabem autem que in oculo tuo est non considerasti? Aut quomodo potes dicere fratri tuo frater sine eiciam festucam de oculo tuo. Ipse in oculo tuo trabem non vides? hypocrita. eice primum trabem de oculo tuo. et tunc perspicies ut educas festucam de oculo fratris tui. Offertorium

Illumina oculos meos ne unquam obdormiam in morte nequando dicat inimicus meus prevalui adversus eum. Secreta.

Oblationibus quesumus domine placatus susceptis. et ad te etiam intimas retrahe compelle per nostrorum tuam. Deus firmamentum meum et refugium meum et liberator meus deus meus adiutor meus. Postcommunio

Mysteria nos domine sancta purificent. et sua munimine tueantur. Per eundem. Ad epistolam.

Fratres. Non cessamus gratias agere pro vobis. memoriam vestri facientes in orationibus meis. ut deus domini nostri iesu xpi patris gloriae det vobis spiritum sapientiae et revelationis in agnitione eius. illuminatos oculos cordis vestri. ut sciatis quae sit spes vocationis eius quae divitiae gloriae hereditatis eius in sanctis. et quae sit super eminens magnitudo virtutis eius in nos qui credimus. secundum operationem potentiae virtutis eius quam operatus est in xpo. suscitans illum a mortuis et constituens eum ad dexteram suam in celestibus super omnem principatum et potestatem et virtutem et dominationem. Et omne nomen quod nominatur non solum sed in hoc seculo. Et in futuro. Cum venisset s. matheus. iesus in templum accesserunt ad eum principes sacerdotum et seniores populi dicentes. In qua potestate hec facis. Et quis tibi dedit hanc potestatem? Respondens iesus dixit illis. Interrogabo vos et ego unum sermonem. Quem si dixeritis mihi et ego vobis dicam in qua potestate hec facio. Baptismum iohannis unde erat? e celo an ex hominibus? At illi cogitabant inter se dicentes. Si dixerimus e celo dicet nobis. Quare ergo non credidistis illi. Si autem ex hominibus